



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 14. Regula S. Benedicti. Officium Divinum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI. A.C. 529. gionis Samnitium in præalti montis declivitate extructam. Ibi vetustissimum Apollinis templum visebatur, quod Numen ruricolæ adhucdum adorabant. Circum erant nemora Idolo sacra, in quibus Sacrificia offerebant. Postquam illo pervenit S. Benedictus, Idolum comminuit, Aram evertit, lucos succidit, & in templo ipsius Apollinis Oratorium S. Martini, itemque aliud S. Joannis in loco ubi Idolorum Altare steterat, extruxit; porro prædicatione continua illius Regionis populum ad Fidem perduxit. Ibi postea permansit, ædificato Monasterio, quod totius Ordinis sui fuit celeberrimum, & anno 529. fundatum creditur.

## §. XIV.

*Regula S. Benedicti. Officium Divinum.*

*Reg. S. B.* Sanctus Benedictus sub illud tempus absolvisse creditur Regulam suam postea ab omnibus Monachis in Occidente receptam. In Exordio quatuor genera Monachorum enumerat; Cœnobitarum, qui in Congregatione sub Abbate vivunt, Anachoretarum seu Eremitarum, qui postquam in Congregatione longo tempore fuissent exercitati, recedebant, ut in Solitudine ad altiorem Perfectionis gradum eluctarentur. Alia duo Monachorum genera

*ε. 1.  
v. Cass. coll.  
18. Sup. l.  
XX. §. 5.*

genera perversi erant homines, Sarabaitæ, *Sæculum VI.*  
 qui bini aut terni aut etiam singuli arbitrio A.C. 529.  
 suo vivebant & nullam sequebantur Re-  
 gulam, & Gyrovagi seu vagabundi, qui  
 semper de uno Monasterio in aliud diver-  
 tentes gulæ illecebras, & voluptates  
 quærebant. Hi ultimi omnium erant de-  
 terrimi.

Officia Divina S. Benedictus ordinat *Reg. u. 8.*  
 in hunc modum: In hyeme id est Cal.  
 Nov. usque ad Pascha octava noctis ho-  
 ra surgant, id est, hora secunda. Ipse *p. 47.*  
 Abbas horam operis Dei annunciet, vel  
 hanc curam cuidam Fratri diligentissimo  
 committat. Quod post vigilias usque  
 ad lucem supererit temporis, addiscendis  
 Psalmis, aut Meditationi, aut lectioni ne-  
 cessariæ impendatur. S. Benedictus Vi-  
 giliis appellat Officium Nocturnum, quod  
 nos Matutinum dicimus, & Officium Ma-  
 tutinum sub crepusculum, quod nos Lau-  
 des dicimus. In æstate, id est, a Pascha-  
 te usque ad initium Novembris horam  
 incipiendis Vigiliis non determinat, sed  
 solum vult, ut omnia ita temperentur,  
 ut Laudes, dum illucescit, recitari pos-  
 sint.

Singulis diebus ad Vigilias duodecim  
 Psalmi cantentur post Hymnum, quem  
 S. Benedictus appellat Ambrosianum,  
 quia plerique Hymni S. Ambrosium ha-  
 bebant Auctorem. Dictis sex Psalmis  
 Fratri-

Sæculum VI. Fratribus omnibus sedentibus per vices  
 A. C. 529. suas legent tres lectiones, & post quam-

- libet earum cantabitur Responsorium. Deinde sex alii Psalmi dicantur cum *Alleluja*, quam sequatur Lectio Apostoli ex memoria recitanda cum versiculo & Litaniam id est *Kyrie eleison*. Ita Officium Nocturnum absolvetur. In æstate, quia
6. 10. breviores noctes sunt, Lectiones omitantur, sed ex memoria recitabitur una tantum veteris Testamenti, quam Responsorium breve sequetur. Lectiones
6. 9. Vigiliarum ex S. Scriptura vel de expositione Patrum sumentur.

- Diebus Dominicis maturius surgant,
6. 11. & postquam sex Psalmos cantaverint, legentur quatuor Lectiones cum suis Responsoriiis. Deinde cantabuntur sex alii Psalmi, & legentur iterum quatuor Lectiones. Sequentur tria Cantica ex Prophetis, & quatuor Lectiones ex novo Testamento. Post ultimum Responsorium Abbas Hymnum: *Te Deum*, incipiet. Si (quod absit) tardius surrexerint, aliquid de Lectionibus vel Responsoriiis omittendum esset, ut diluculo semper incipiant Matutinos. In Festis Sanctorum aliisque Solemnitatibus Officium peragetur sicut Die Dominica; at Psalmi, Antiphonæ & Lectiones illius Festi propriæ recitabuntur.

Breviarium.

Ad

Ad Matutinos præter Psalmos unum Sæculum VI.  
Canticum ex Prophetis excerptum reci- A. C. 529.

tabitur, sicut psallit Ecclesia Romana. c. 12. 13.  
Ita loquitur S. Benedictus, & inde indi-  
cat, se hujus Ecclesiæ Consuetudinem  
sequi. Canticum: *Benedicite*, quod Die-  
bus Dominicis dicitur, *Benedictiones*  
appellat, & *Laudes* vocat tres ultimos  
Psalmos, qui singulis diebus dicuntur, &  
quorum initium est vox: *Laudate*. *Pa-*  
*ter Noster* elata voce post Matutinos &  
Vesperas recitetur, ut si quis fratrum  
rancorem arcanum contra fratrem ale-  
ret, ignoscere cogeretur, admonitus il-  
lis verbis: *Dimitte nobis debita nostra,*  
*sicut & nos dimittimus debitoribus no-*  
*stris.* c. 14.

Præter hanc aliquam aliam fuisse  
Orationem, qua illa ætate Officia claude-  
rentur, nullum apparet vestigium.

S. Benedictus, ut cujuslibet Horæ fi-  
nem indicet, utitur vocibus: *& Missæ* c. 16. 17.  
*fiant*. Vult dicere, Officio finito dimit-  
tendam esse Congregationem. Minuta-  
tim pro singulis Horis Psalmos distribuit,  
sicut hodieque in Ipsius Ordine observa-  
tur, & addit: *Si cui hæc Distributio dis-*  
*plicuerit, aliter ordinet, si modo singu-*  
*lis septimanis Psalterium ex integro re-*  
*citetur, ne omnino iners Devotionis no-*  
*stræ esset servitium, cum legamus, Patres*  
*nostros uno die illud strenue implevisse.* c. 18.

Alias

Sæculum VI. Alias Orationes S. Benedictus non  
A. C. 529. præscribit. Nullatenus vero dubitat,  
 fore, ut Monachi sponte sua ad Oratio-  
 nem mentalem incumbant, dum dicit;  
 c. 20. *Et ideo brevis debet esse & pura oratio,*  
 c. 52. *nisi forte ex inspiratione Divinæ Gratiæ*  
*protendatur.* Et iterum; finito Officio  
 omnes ex Oratorio exire debere, ne si  
 qui forte sibi peculiariter velint orare,  
 impediuntur, & qui secretius orant, non  
 in clamorosa voce orent, sed in lacrymis,  
 vit. c. 4. & intentione cordis. In ipsius quoque  
 vita legitur, Monachos decantatis Psal-  
 mis in orationem se dedisse, & unum ex  
 illis ob suggestionem Dæmonis in ea per-  
 severare non potuisse, sed solitum fuisse  
 ex Oratorio exire.

## §. XV.

*L a b o r.*

Reg. c. 48. Oratione completa Monachi reliquum  
 diei tempus labori aut lectioni da-  
 bant. In æstate, id est, a Paschate us-  
 que ad primam Octobr. mane exhibant  
 ad laborem ab hora prima usque ad  
 quartam, nempe a sexta usque ad deci-  
 mam; horas vero pro diversitate &  
 mensura lucis diurnæ vel producebant,  
 vel contrahebant. Quatuor horis in la-  
 bore exactis, ut dicit Regula, Lectioni  
 vacabunt duabus horis usque ad horam  
 ferme sextam. Post sextam & prandium

in